EMBLÉMS

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS
xq943.3
M46Wc

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/diesnatalisseren00colo


DIES NATALIS
Sereniſsimi Infantis
et Principis Boiorum,
Maximiliani Emanuelis
Mariæ
Josephi
In motu quies
Et hinc ſubſidium
Blandè et ſeverè.
Flos flori
α et ω
Caietani
FAVORIBVS SANCTORVM
Heroum Crepundiis,
Et votis Patrum S.I.
Coronatus.
In ſolemnibus baptiſmalibus,
Coloniæ Agrippinæ, Collegii Societatis Jesu.
Anno M.DC.LXII Menſis Sept. Die
I. Touſsin delineavit

PErſæ orientem ſupplici veneratione Solem exſpectabant, ab hac ſideris ſupremi obſervatione auſpicatum ſibi diem fore rati. Unde & in caſtris pellucens ſuper Imperatoris tabernaculum cryſtallus eminebat, quæ acceptam rei verberatamq́ Solis imaginem omnium oculis obiiceret, ſi Curtio in Alexandro (lib 3. cap. 7.) credimus.

Vidimus & nos Iam diu exſpectatum ab Oriente Solem, è Boico ſurgentem climate, Sereniſſimum Bavariæ infantem, bene auſpicatum nobis diem lucere. Quem ut Cœlites prædicandis omnino favoribus, ita nos votis plauſibuſq́ noſtris excipiendum, memorandumq́ venturæ etiam poſteritati duximus. Tot enim jam pridem Agrippinenſe Collegium Societatis I E S U *laudatiſſimæ Boiorum Principum & Electorum familiæ beneficiis devinctum tenetur, ut eodem quo illa perfunditur lætitiæ ſenſu, nos omnes capi, ipſiuſque felicitatem, noſtram ducere neceſſe ſit.*

Multa ſunt admiratione digna, quæ Natalem hanc novi Principis lucem coronant, noſq́ in iſtius Serenitate ſpectatores defigunt. Duodenarius ille, quà heroum, quà ſanctorum virorum numerus, qui hunc ortũ ſecundis favoribus proſequuntur, muneribus ac crepundiolis cunas Principales ornant, nominibus bene ominatis natum inſigniunt, exẽpli raritate ſuſpenſos tenet.

MAXIMILIANUS ſpondet de parvo maxima,
Sive cum Laureacenſi, aut Agrippinenſi Præſule tractet pedum;
ſive cum Avo ſæpius Laureato in bellis Principe,
ſive cum Tritavo Cæſare victorioſo gladium.
Bojorum recèns nato Herculi
non ſerpentes in cunis objicimus lacerandos,
ſed imitandos ſua imagine ſapientes Proavos.
Exemplo Virtus citius diſcitur:
Tum robuſtior, cum à teneris adoleſcit vnguiculis.
Tum major, cum in parvis eminet,
Nemo repentè ÆMILIANUS eſt MAXIMUS.
Magnitudo in homine requirit ætatem,
Seu molis illa ſit, ſive virtutis.
EMMANUEL fauſtum nomen, per quod NOBISCUM eſt DEUS,
Hoc Angelus quondam Patrinus Chriſti cœlo attulit,
Poſt Sabaudia bono occupavit omine,
Nunc cum ſponſa Matre deſponſatur Bavariæ
Nolumus hæc ſponſalia reddi irrita.
MARIAM cum Emmanuele neceſſe fuit jungere,
Ne mater divelleretur à filio,
JOSEPHUM cum Maria, ne conjux à conjuge,
Bona IESU Societas
Ad quam fas ſit hunc ingredi Principem,

Ab ipſâ tot nominibus tranſcriptum Natali die,
LUDOVICUM placuit accensêre, Cæſareo, aut regio è ſanguine,
Vtrumq; ſceptro & gladio verendum, magnanimum & pium
Fortunam olim proavis ſupparem videant, qui invident.
CAIETANVM ex Italia Theatinorum magnum Ducem,
Ad hæc etiam cunabula favor tranſtulit.
Vt ex tota Europa Cælitum conſcriberet copias,
Magnum militaturo in orbe Principi præſidium,
Tantò expeditius, quod commeatum non requirat.
ANTONIVM eidem ſuffragatorem jure deputant,
Sive quem olim Padua, ſive quem Ægyptus tulit.
Ille hominum, hic etiam Dæmonum victor palmaris,
NICOLAO ad tutelam & pugnam comite,
Facilem ſpondent bene ominata re & nomine victoriam,
Nicolaum hæc nunquam fallere potuit,
Qui cùm omnia amitteret, nomen tamen victoris populi tulit.
FRANCISCVM non præteriit, ſive Aſſiſiatem, ſive de Paula dixeris,
Eâdem uterque diſciplinâ ſuos imbuit.
Inter minimos veneratur maximos.
Demiſsionem in ſublimitate, in copia abſtinentiam.
Nomina Principibus non negligenda.
IGNATIVS his Loiola ſuccenturiatus in ordine,
Ignem divini amoris ipſo nomine ſuggerit,
Illuſtraturus familiæ Electoralis hoc in Principe gloriam,
Ad Maiorem Dei gloriam,
Sine qua omnis Principum gloria, ignominia eſt.
FELIX accedit, & quid amplius in Principe deſideres?
Niſi ut ſimul, ſit PIVS.
Vtrumque nunc ſortitus bono nomen omine,
Diu vivat, & ſerò moriatur,
Semper FELIX ac PIUS.

EPIGRAMMA

In ordinem Nomenclaturæ Principalis.

ORdine poſtremos FELICEM ſtare PIUMQUE
Miraris? primos forſitan eſſe velis.
Nil malè conceptum eſt, Poſtremi in imagine cunas
Dum cingunt, primas obtinuere vices.
Vltima cum primis ſic conjungentur amicè,
Dum PIUS & FELIX MAXMILIANUS erit.

Aſſul



Affulgentis ex ortu Solis radios ſumma montium templorumque primò faſtigia perſtringere compertum eſt. Profuit hoc Tyriis obſervaſſe, ſi fides apud Sabellium (Lib. 9. Enn. 1.) hiſtoriæ eſt; quando inſtitutis comitiis, illi regnum decretum eſt, qui Orientem prior Solem in ſuburbanis campis ſalutaſſet: quod fefellit plures ſublimibus invectos equis; illi ante omnes obtigit, qui ad ſumma murorum templorumq; culmina oculos convertit, atque illic exortum primò Solem & oſtendit reliquis, & ſuppliciter eſt veneratus.

Fas ſit Ser.^mi Principes, hoc nos exemplo ductos fateri, atq; ex præclaris illis, veſtrâ munificentiâ, cùm alibi, tum & hic inprimis Coloniæ excitatis templorum & Collegiorum Societatis noſtræ monumentis, hunc è Boica familia Solem oriturum prænotaſſe. Non patientur ſterilem eſſe, heredisque ſucceſſuri vacuum thalamum, tot Chriſti & Sanctorum aræ, tot baſilicæ Divorum, veſtris impendiis ſurgentes, veſtris precibus ſacrificiiſq; calentes non tot Collegia Sacerdotum, Deoq; conſecratorum hominum, veſtris beneficiis alita, religioſæq; vitæ obſequiis devota. Hoc itaq; votum noſtrum tholo MARIANÆ *Colonienſium baſilicæ Boicâ munificentiâ, in honorem Dei & uſum Societatis* IESU *aſſurgenti, devoti clientes affigimus.*

STa domus æternùm Boica,
Per quam ſtat MARIANA hæc Patrum domus.
Quot hæc aris, tot illa coronis cumuletur.
Vtraque æternùm ſua habeat lumina.

Hæc parvum templi, illa magnum terræ orbem irradiantia;
Nec in morte quidem extinguenda,
A ſolo transferenda in polum.
Sic luceant, qui hæc nobis accendunt luminaria,
Quæ *Maximilianus* magno inſtruxit animo
Ferdinandus tuetur, non impar tanto parenti filius,
Vt cum annis Boiorum Principum
Sola nunquam conſeneſcat beneficentia,
Et tanquam phœnix è buſto, ex morientium reviviſcat cinere,
Ac cælorum æmula, ætatibus revolutis redeat.
Ita & nobis *Maximilianus* renaſcitur,
Virtutis Majorum heres ditiſsimus.
Niſi tot fallant heroum ſanctorumque nomina,
Quorum menſuram implere non niſi *Maximi* eſt,
Negligere non eſt Boicum.
Maximiliani raro fallunt; ut exemplis novimus,
Avi inter *Boios*, & *Nepotis* inter *Vbios*:
Electi uterque virtute, ideoque & *Electores*.
Inter quos, qui *Felix* & *Pius* eſt Nepos
Non eſt futurus degener.

IN CREPVNDIA HONORARIÆ CRVCIS.

A Ser.mo MAXIMILIANO *Electore Colon. ex Cimiliis S. Maxim. Epiſcopi Laureacenſis, oblata Nepoti infanti.*

Inſcriptio.

Nihil iſta gravabit.

DIſcat amare CRUCEM Puer hic vernantibus annis,
Atque crepundiolis annumerare ſuis.
Nemo magis vitat, quàm qui complectitur ultro.
Quo magis ipſa placet, CRUX ſolet eſſe minor.
Ergo ſuum cupiens munire hac arte Nepotem,
Vt procul avertat, porrigit ipſe CRUCEM.

IN CREPVNDIA CVNARVM PVERILIVM.

Ab Emmanuele, Magno Sabaudiæ Duce, exhibita.

Inſcriptio.

In Motu quies.

EMmanuel teneras inter cunabula cunas
Exhibet, has etiam volvere luſus erit:
Impleat ipſe modò, poſt plurimus impleat heres.
Hoc noſtrum, votum hoc Emmanuelis erit.
Quemque Patres agitant, agitet mox ipſe Nepotes,
Cunarum motus perpetuandus eat.
Boiorum hic faciles poterit componere ſomnos.
Nam latet in motu hoc ſæpe petita quies.



DUm Sol Julio Menſe jam declive Cancri ſignum egreditur, Magnus orbem ingreditur Boiorum Princeps MAXIMILIANUS, tardè ſed tandem, *tantò gratior, quòd diu exſpectatus. Senſim magna prodeunt: nil ingens, & ſubitum eſt. Aurum gemmaſque natura parturit; ſed diuturno ſiderum terræq; concipientis labore. Adonidem olim Veneri dilectū puerum Apri dentibus in venatione laniatum flebant entheatæ Ægyptiorum mulieres, tempore quo Sol Cancri ſignum adiret, à quo dum rurſum deflecteret, tanquam redivivum publico ſacrorū carminum plauſu gratulaturæ renato excipiebant. Ita nos, qui Avum* MAXIMILIANUM *non ita pridem occumbentem planximus, cujus in ſago togâq; virtus orbi notiſſima, in adverſis explorata conſtantia, in ſecundis moderatio; in hoc Ser.*^{ma} *domus Nepote, magnâ exſpectatione reviviſcentem ſalutamus & amplectimur, votiſq; ac ominibus benè nuncupatis, tanquam Iſaacum è Sara, Joſephum ex Rachele, Sampſonem è Manuitide, Samuelem ab Anna inſperatò naſcentem veneramur.*

SAlve Piorum votis exoptate Princeps, Pius
Bono ſis nomine & omine,
Sacro PII Pontificis Maximi exoriens die,
Sol novus, ſed non ſolus Boiorum:
Sereniſsimam domum illuſtriori luce irradians.
Vapulent multorum aulæ, quod careant piis,
De Boiis id nemo dixerit.

Anto-

Antonini olim in aula Principem habitare Pium;
Miraculum antiquitatis fuit.
Quod ſi nunc incognitum, eſſet, qui id rurſum patrarent Bavari,
Herodis aulæ deſcriptor impiæ
Piam nonnemo Theodoſii oppoſuit Principis,
Magnâ inquiſitione & ſtudio in re rara.
Nunc Boij, cognatique his Principes, copiam ſuppeditant,
Tres Ferdinandi hac ætate teſtes ſunt,
Duo in Auſtria mortui, & vivus in Bavaria unus.
Tres etiam Maximiliani teſtes:
Vnus Avus mortuus, & duo Nepotes vivi,
Alter in mitra Colonienſi, alter in cunis Boicis.
Ita hodie geminantur miracula.
Aquilæ & Leones nihil educant vile.
Leo rariùs parit, ſed tamen leonem.

SANCTORVM FAVORE, & HEROVM CREPVNDIIS.

B. Cajetanus recens nato Principi laguncülam lacte plenam exhibet.
Inſcriptio.
Et hinc ſubſidium.

ET placeant fictæ lactis dulcedine Mammæ,
Subſidium Matris deficientis erunt.
His juvat auxiliis etiam fulcire puſillum,
Hinc ſua Mater opem ſentiat; inde Puer.
Et quem lacte bibit, ſervet ſub mente nitorem,
Non poterit Superis gratior eſſe color.

D. Ioſephus iconculam pueri Iesu *fabrefactam crepundioli loco offert.*
Inſcriptio
Similis ſimili.

QVid Tibi cum pupis dux eſt vernilibus? Ecce,
Si dignus puer eſt Principe, Chriſtus erit.
Gaudeat hoc *Similis ſimili*, generoſior illo
Non poterit fingi paruulo imago Tibi.
Totus ad exemplar Temet compone puſille;
Sic eris in Magnis, puſio parve, viris.

S. Virgo Deipara Mariа *faſcias pueriles recens nato Principi explicat.*
Inſcriptio.
Vincula non ſunt.

QVæ modò creſcentes in Principe circuit artus
Faſcia, quàm blandis nexibus illa ligat!
Sic quondam tenerum ſtrinxit ſub vincula natum
Virgo Parens, vinclo nunc liget illa pari.
Captiuus Mariae puer hic adoleſcat: & olim
Hæc libertatem vincula ferre, ſciat.



LEonem animantium fortiſſimum; heroicis familiæ Bavarorum virtutibus jam olim debitum dedicatumq; Romani Imperii ſuffragatione conſenſuque, non ignoramus. Et ſanè providenti Cœlitum deſtinatione, tunc recèns ortum MAXIMILIANUM novum Boicæ gentis ſidus accepimus, cùm Sol ille æthereus Leoni cœleſti propinquus, ſuâ hunc radiorum luce perfunderet: ut quod nonnunquam in terris, eâ anni tempeſtate ortus Sereniſſimus Boiorum infans facturus ſperatur, hoc in iſta Solis in Leone præludentis imagine, benè ominatis radiis, tanquam futuræ gloriæ lineamentis depingatur. Priſcis ſolenne erat, Rhodigino teſte, poſt ortum in Leone Solem, maturo jam fructibus anno, opulentiſſimam, per occultos miniſtros, in maris litore menſam inſtruere. Unde populus latè tanquam ad prodigium & præbitas de cœlo lautitias affluebat, ideoq; Apollonius Thyanæus, gentilis Theoſophiæ miraculum, D. Hieronymo ad Paul. teſte, ut famoſiſſimam Solis menſam (ſic loquitur) videret in ſabulo, peragratis jam Orientis regionibus in Æthiopiam penetravit. Nõ diſſimili nunc Boios ſtudio, Sole noſtro MAXIMILIANO recèns orto, & Leonis ſignum irradiante, fervere atq; exultare intelligo, baſilici menſarum apparatus, quæq; alia ſunt geſtientium gratulantiumq; Boico Soli argumenta non deſunt, & maximè ad cœlum Cœliteſque tam in hanc gentem beneficos omnium animi voceſq; convertuntur; Superis vicisſim conſociatam ſibi jam dudum familiam omni favore proſequentibus.

Patroni cœleſtes recèns natum Principem ſuis favoribus ambiunt.

CÆlituum exorata cohors, cunabula Boiûm
Cingere, venturæ prolis ad obſequium:
Hoc ſibi certatim munus depoſcere viſa,
Et patrocinii pandere vela ſui.
Quiſque ſibi ſacras Divorum offerre calendas,
Et menſem nati Principis eſſe ſuum.
Prodeat *Octobri*: ſic *Maxmilianus* avebat,
Vox quoque *Franciſci* hæc Aſſiſiatis erat.
Septembrem vult *Virgo parens*, dum naſcitur ipſa:
Joſephi votum *Martius* unus erat.
Auguſtum Ducis Auguſti *Ludwicus* amabat,
Par *Caietani* voxque favorque fuit.
Junius Antonio, *Niclao* in mente *December*:
De Paulâ primas menſis *Aprilis* habet.
A *Jano* voluit *Felix* exordia duci
Nolanus: *Fratri Maius* amicus erat.
Februus ad Mariam verſus. Quàm convenit, inquit,
Proxima Baptiſmo purificata Parens!
Emmanuel pleno Sanctorum in menſe *Novembri*
Optat, & hic ſolus Principe dignus, ait,
Julius in partes deſertus vertitur omnes:
Tu meus *Ignati*, ſpero, Patronus eris:
Solus ego fortes cæli in regione *Leones*
Circumago, *Chriſti Bojugenûmque* decus:
Dixit, & obtinuit votum Loiola: favente,
Pontifices inter, nomine reque *Pio*.
Vincitur, & vincit ſanctos *Ignatius* omnes,
Dum prior in voto eſt; ordine poſterior.

D. Ignatius inter ceterorum crepundia Nomen IESU *ternis literis adumbratum exhibet.*

PRima rudimenti Puer hæc elementa capeſſat,
Et literarum exordia.
Ante ſuis diſcat IESUM diſtinguere ſignis,
Frontique ſic inſcribere.
Grammatice melior nulla eſt. Hoc nomine ſolo
Clauduntur omnia nomina.
Verba ſub hoc uno complectimur omnia Verbo:
IESUM ſciens ſcit omnia.

Solem



SOlem velut ſolum unicumq; orbis oculum à Romanæ Eloquentiæ parente nuncupatum eſſe, notavit Lactantius. Nec immeritò, ut à quo ſolo lux in orbem univerſū influit, & reliqua ſua in luce dependent cœli luminaria. Quod cor animato in corpore eſt, à quo vis vitaliſq; in cetera derivatur membra vigor, hoc Sol in univerſo eſt, unde terra cælumq; atq; elementa irradiantur omnia, ſuum aër lumen accipit, ſuam ſtellæ lucem, pellucidum aquæ ſplendorem, plantæ vitam, aurum gemmæq; decus ac virtutem. Nihil eſt, quod ipſo Solis non delectetur lumine, amœniſſimos illius radios, totamq;, ſi poſſit, imaginem non excipiat. In cryſtallo, in ære, in vitro, in aquis, ipſisq; adeò dēſioribus cœli nubibus, uno Sole exorto plures derepente oriri conſpicias. Qui ſolus hanc prærogativā excellentiſſimæ creaturæ Dei adfert, quòd & pulcherrimam ſpeciem exhibeat, quam intuearis, & facem à ſeipſo præbeat, quâ videas, & quandoque Tibi in tam diverſis, ut dixi, creatarum rerum ſpeculis, tot illuſtres aſtri cœleſtis imagines repræſentent. Idem Boico orbi ad Ser.mi Parentis FERDINANDI inexſpectatum pleriſq; ortum præſagis multi vocibus ominati ſunt, futurum ut ad illius Solis imaginem brevi plures expreſſi ſequantur. Iſaacum prodigioſa nativitate Deus Abrahamo conceſſit, ut fœcūda Nepotum ſerie adoleſceret, non ut repentino beneficio mox naſcens moriensq;, velut de Sole quolibet Xenophanes ſomniabat, totus occumberet. FERDINANDUS è MAXIMILIANO natus, Maximilianum nunc dedit alterum, mox & alterum daturus Ferdinandum, ſui quoque heredem nominis.

CRescat ex adoleſcente adultus,
Et juxta ſe numeret fratres, poſt ſe nepotes.
Nomina quæ ſolus nunc multa poſſidet,
partiatur in plures,
Sed non amittat *Felicis* & *Pii*.
Sit *Maximilianus* domi, *Nicolaus* in campo, in templo *Ignatius*,
Mariam in corde, *Ioſephum* in exemplo præferat.
Amet cùm *Franciſco* pauperes, & maneat dives,
Cum *Ludovico* vivat in purpurâ, ſed ſimul *Pius*.
Rarum hoc in Rege nomen, ſed maximè regium,
Ipſe tantam hereditatem nominum, ſi totam non adeat,
Venturis communicet fratribus,
Et Ioſephus cùm ſit, ſuum brevi Benjaminum videat.

FAVOR SANCTORVM, & HEROVM CREPVNDIA.

D. Ludovicus Boico infanti inter crepundiola arundinem equino capite præmunitum offert.

Inſcriptio.

Hæc ſint præludia.

HIs præludat equis, & flectat arundine curſus,
Terga caballorum, qui gravis ære premet.
Magnorum ſenſim à parvis exordia creſcunt.
Nempe Gigas Sampſon repſerat antè puer.
Bucephali quondam juvenis qui flexit habenas,
Stipite arundineo raſerat antè vias.
Tutior incedes, *hæc ſint præludia*, Princeps,
Hinc metuenda gravis nulla ruina Tibi eſt.

S. Franciſcus Aſſiſias ad puerile exercitamentum ludicrum apponit Roſarium.

Inſcriptio

His ludat globulis.

LVdere par impar, globulorum jactibus orbes
Pellere, & impulſu volvere quæque ſuo.
Hic labor ætatis primæ eſt, FRANCISCUS amanti
Subvenit, & nexos porrigit arte globos.
Hic, ait, hic dignus eſt Boiorum Principe luſus,
Quicunque hoc ludit, perdere nemo poteſt.

S. *Nicolaus Puerorum non illiberalis fautor, ſaccharo placentisque, apponit in calseo virgulam.*

Inſcriptio.

Blandè & ſeverè.

NOn blandis nimium, non innutrire ſeveris
Ingenium pueri, dexteritatis erit.
Et ſolers habet in parvis moderatio laudem,
Debita NICOLAO laus erit illa ſeni.
Flectere qui teneros cupiet feliciter annos,
Nunc prece, nunc pretio, nunc aget ille minis.
Vt feriendo poteſt, ſic & parcendo nocebit:
Qui nimis indulget, ſæpe ſeverus erit.



SOl oritur & occidit, nihil immortale hoc in orbe poſſidemus. Illud ab occaſu cœleſtis illius ſideris, amiſſo jam die, ſolatii nobis relictum eſt, quòd in nocturnis cœlorũ aſtris lucis, velut ab ipſo poſthumæ, intuitu recreemur. Quod ſi perpetui nobis Soles è Bojorum orti familia lucere nequeant, poſteritatis, ut ſpes eſt, nos luce non deſtituet. Erit proprio Numine, Ser.mæ gentis dignus heres, qui Majorum decus referat, gloriam virtutemq; æmuletur. Evenire nobis hac ætate viſum eſt, quod in Borealibus Thule inſulis Procopius de bello Gothico (Lib. 2.) fieri meminit. Etenim gens illa ſuo jam Sole per quadraginta dierum noctiumq; circulos deſtituta, venturæ lucis cupida, poſtquam per ſpeculatores ex altiſſimis illic montibus invigilantes didicit, Solem flexo ad illud hemiſphæriũ redire tramite, mox publicæ lætitiæ argumentis, æris tubarumq; ſono, paſſim concire ad ſolennem omnes plauſum, Soliſq; propinquantem diem, verno tempore ſalutandam, inſtitutis Divinis laudibus, feſtiviſq; epulis ac poculis coronandũ, affluere conſuevit. Ita deflectente ad ſeniam Ser.mo MAXIMILIANO FERDINANDI *Patre, lux optatiſſima moderantis nunc Bavariam Electoris ab inexſpectato ſpeculatore nuntiata, ambiguo inter nubes lumine hærere viſa eſt, quando repentè diſcuſſâ nocte, ſerenam nobis lucem exhibet, & ſolenni latè populorum gratulatione redivivus in Nepote Avus ſalutatur. Igitur quando illum ſiſtere Solem non licuit, miraculo uni olim Joſue conceſſo, nec Patrem, urgente fato, neq; hunc Nepotem venientibus annis licebit, occũbente hoc illove Sole, ſtellas ab uno plures lucem ducentes Superis propitiis ſperabimus, de quibus illud uſurpare fas ſit:* Et in his ſpectabitur abſens.

Lege

LEge hæc & admirare
Qui ex patre FERDINANDO ſupra ſpem naſcente,
Ipſe præter ſpem natus penè cum prodigio eſt,
Naturâ liberorum prodigâ,
Non ſine Divorum beneficio in Boiis benefica.
Qui ſic naſcuntur IOSEPHI non naſcuntur ſteriles,
Solis unius occidui lumen.
In ſtellis videbimus poſthumis, nunquam totum occidet,
Vnus ille, ſtellæ innumeræ: unus Princeps, infiniti poſteri.
Nec ſtellæ, nec poſteri numerabiles
Abrahamo & Maximiliano orituri ſunt parentibus?
Cum Deus benedicit, etiam ſteriles fecundi ſunt,

FAVOR SANCTORVM & HEROVM CREPVNDIA.

D. Antonius ex ſilveſtribus arborum fructibus poma nuceſque proponit.
Inſcriptio
Innocui luſus.

SVnt pyra, poma, nuces oblectamenta Minorum,
Orbibus his ætas volvitur innocua.
Grandior ad magnos adſpirat ſæpe labores,
Imperiique orbem vertere geſtit ovans.
Scilicet hic hominem luſus delectat, & orbe
In majore minor volvitur orbis homo.
Luditur, & ludit; ſed non innoxius omnis,
Hoc ſolo eſt reliquis major in orbe puer.

D. Pius Rom. Pontifex Roſam auream, ſacris ſolennibus conſecratam, recens nato Boiorum Infanti ſubmittit.
Inſcriptio
Flos flori.

QVæ Romæ benedicta ſacro Roſa fulget in auro,
Pontificum quondam nobile munus erat.
Siqua fuit magnis dignè conceſſa Dynaſtis,
Hos inter meritò MAXMILIANUS erit.
Conveniet flori, flos hic oblatus: odorem,
Si deſit, virtus mox oritura dabit.

B. Felix Agnum Dei in cordis figura adumbratum, pro luſu ſimul & munimine exhibet.
Inſcriptio
α & ω

PRincipium finiſque meæ, Deus optime, vitæ,
Dum ſub corde gero, cor mihi cordis eris.
Hinc uti vivendi FELIX exordia duco;
Sic quoque diſcendi proximus eſto labor.
Omega & Alpha ſuum capiet qui corde Tonantem,
Hic felix tanti nominis omen habet.
Iliadem claudant alii nucis orbe malorum:
Omnis hic Iliadem claudet in orbe boni.

Anceps

Anceps Vates & Pictor diſsident, certantq́, Sanctóne Felici Nolano Presbytero, an B. Felici Capuccino fratri hic locus deſignetur.

Noſter aberrarat Felicis nomine pictor,
Dum pro cucullo dat togam.
Ergo adiit Vates, errorem expungere juſsit,
Habitumque nigrum evertere.
Noluit hoc pictor, Vatiſque eſt fingere, dixit,
Noſtrumque quidvis pingere.
Nola ſuum cenſet Felicem ætate priorem:
Senioris eſt præcedere.
Quod facio, mecum præſens Eccleſia fecit,
Sanctum Beato prætulit.
Et quamvis meritis hic ſanctus abundet uterque,
Præ Laico ſtat Presbyter.
Si tamen erratum eſt, inquit, tu corrige Vates,
Et utrumque cunis admove.
Si geminus, pater & mater ſibi vendicat unum;
Et utrique Felici eſt locus.
Denique concluſi: Pictoribus atque Poëtis
Sua ſit poteſtas libera.
Sit *Felix* ſemper *Princeps*, maneatque perennè,
Quocunque tandem nomine.

EPIGRAMMA II.

Patroni Sereniſsimi Infantis per omnes horas, dies & menſes anni diſtributi.

Ne ſibi deficiant horâ quacunque Patroni:
Cúm rutilo volvit Cynthius orbe diem.
Et neque ſub fuſcis deſit tutela tenebris,
Cynthia cùm triſtes gyrat in axe rotas.
Ut quoque ſecuris decurrat menſibus annus;
Nomina ſanctorum Dux duodena legit.
Quælibet hora ſuum, quivis & menſis habebit.
Dignior haud unquam eſt Principe lecta cohors.
Cæſaris Auguſti cedat prætoria turma:
Hæc minor impenſis, major habetur ope.

EPIGRAMMA III.

In Nomine Pii *rectè concludit* Maximilianus.

Quod Pius in fine eſt, placet obſignatio voti,
Si claudat iſto nomine hanc vitam, benè eſt.
Hactenus Auſonios hoc tantùm nomine Papas
Cenſemus, olim ſeculo ignotum fuit.
Nunc quoque Bavaricam primus Pius incolit aulam,
O rarum & illuſtre paradigma Nominis!
Quanquam erro, non eſt primus, centum ante ſuorum,
Cenſere avorum, cùm Pios Princeps queat.
Plurima poſteritas hinc eſt optanda Nepotum,
Ut impleantur Principum domus piis.

FINIS.

WILLIAM SALLOCH
Pines Bridge Road
Ossining, New York